



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

472. An Capitulum sede vac. de aliis quoque delictis inquirere,
cognoscere, eaque punire possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Questio 471. Num Capitulum sede vacante possit statutorum suorum transgressores punire?

Resp. affirmativè: Capitulum si quidem etiam sede plenâ potest pœnas imponere transgressoribus statutorum suorum. Pirh. *ad tit. de major. & obed. n. 43.* Laym. *in c. cum omnes. de constit. n. 1.* Tametsi enim Capitulum Cathedrale absolute loquendo non habeat jurisdictionem in ecclesia vivente Episcopo; adeoque nec sine Episcopi autoritate condere possit leges, & statuta, quibus ecclesiæ status, antiquæ consuetudines, aut jura mutantur. Laym. *loc. cit.* citans Abb. *in c. quoniam prope finem. de vita & honest. Cleric. Suar. de LL. l. 8. c. 6. n. 11.* juxta *c. cum consuetudinis. de consuet.* habet tamen partem aliquam, seu usum potius jurisdictionis, sive à Superiore, sive per consuetudinem acquiritum secundum modum administrationis suæ, dum Capitulum separatim ab Episcopo consideratum constituit Collegium seu Universitatem aliquam, cui præest Decanus, aut Præpositus juxta diversas Ecclesiarum consuetudines. Laym. *loc. cit.* & ex eo Pirh. adeoque jam potest intra terminos potestatis suæ statuta facere, & consequenter iis (etiam sine Episcopo, seu licet Episcopus statutum non approbaverit. Laym. *loc. cit.*) pœnam seu multam adjudicare, v. g. pecuniariam, & per subtractionem fructuum ex corpore transgressores compellere ad pœnam statuto decretam solvendam. Laym. *loc. cit. n. 2.* Pirh. *cit. n. 43.* quia id, (ut colligitur ex *l. 1. ff. si quis jus dicenti non obtemper.*) connexum est, & necessarium ad executionem legis, aut statuti, & regula recepta est, quod quicumque statuta condere possunt, ii etiam pœnam intra terminos potestatis suæ adjudicare possunt; adeoque jam utrumque, & statuta condere, & transgressores punire poterit Capitulum cathedrale. Laym. *cit. n.* (qui *in fine hujus num.* hæc ipsa extendit quoque ad Capitula ecclesiarum Collegiatarum Episcopis subjectarum) Quidquid sit de eo, num condere possit tale statutum pœnale, quod obliget vi jurisdictionis; an solum per modum alicujus conventionis, seu pacti, ut voluit Butrio & alii apud Fagn. *in cit. c. cum omnes. num. 39. & seq.* quem vide, uti & Pirh. *loc. cit.* Atque ex jam dictis manifestè & à fortiore inferitur responsio nostra, posse nimirum id ipsum multo magis Capitulum sede vacante; cum tunc polleat jurisdictione propriè tali, & episcopali, adeoque sicut is legum & statutorum suorum transgressores pœnis coercere potest, ita & illud.

Questio 472. Num Capitulum sede vacante de aliis quoque delictis, & criminibus inquirere, cognoscere, eaque punire possit?

1. **R**esp. primò: potest etiam extra visitationem de delictis contra certas personas inquirere. Barbof. *jur. Eccl. l. 1. c. 32. n. 102.* Fagn. *in c. his que. de major. & obed. num. 5.* citans Rotam *in Burgens. jur. id. decis. 166. num. 2. p. 3. Recent. Vital. in Clem. 1. n. 177. de heret. Feder. de Sen. conf. 16. num. 1. in fine.*

2. Sic quoque potest cognoscere causas judiciales, etiam criminales. Pirh. *loc. cit. num. 30.* Nec obstat, quod Tridentinum *sess. 24. c. 20.* causas matrimoniales, & criminales Episcoporum tan-

tum examinationi, & jurisdictioni relinquat; nam per illa verba solum excluduntur alii Prælati inferiores; non autem Capitulum, quod sede vacante non est inferius, sed par Episcopo. Pirh. *ibidem* citans Quarant. *in sum. Bulbar. v. Capitulum sed. vac. q. 5.* Et sic in specie cognoscere potest de crimine hæresis, & procedere contra hæreticum. Pirh. *cit. n. 50.* citans Clem. 1. *de heret. & Quarant. ubi ante.* Ventriglia *tom. 2. annot. 15. §. 1. n. 29.* ubi: quodam non exemptos Capitulum sede vacante succedit Episcopo in jurisdictione in causa hæresum, prout disponitur *in c. ad abolendam. de heret.* ut abunde probat Farinac. *de heresi. q. 186. n. 177. & seq.* qui etiam *num. 180.* dicit, quod Capitulum exercet hanc jurisdictionem per specialem delegationem. Barbof. *jur. Eccl. l. 1. c. 32. num. 6.* ubi, quod succedat in cognoscendo de crimine hæresis, prout poterat cognoscere Episcopus, in comprehendendis scilicet, judicandis & puniendis hæreticis, citans Hofst. *ad cit. c. ad abolendam. num. 2. & 4.* Abb. *num. 1.* Sylv. *v. heres.* Sanctarell. *tract. de heresi. c. 40. num. 4.* Farinac. ubi paulò post. Item Diana *p. 8. tract. 4. resol. 37.* ubi citato Carenâ *tract. de S. off. p. 1. l. 6 §. 3. n. 10.* cum in causis hæresis proceditur ex parte Episcopi jure ordinario, non est dubium, quin Vicarius Capituli sede vacante debeat assistere Inquisitoribus in dictis causis.

3. De cætero Capitulum sede vacante non habet jurisdictionem procedendi contra exemptos in causa hæresis; quia hæc facultas competit Episcopo non jure ordinario, sed delegato, & proinde non succedit Capitulum. Ventrigl. *loc. cit.* citans Jo. And. *in cit. c. ad abolendam. n. 15.* Anchar. *num. 10.* Decian. *tract. criminal. l. 5. c. 2. n. 14.* Farinac. *ubi ante. num. 182.* (qui etiam dicit ab hac sententia non esse recedendum) Correr. *de heret. n. 60.* Zabarell. *in Clem. 1. de heret. num. 60. in q. 8.* Dian. *tom. 4. tr. 8. de off. & potest. Inquis. resol. 33.* qui tamen *p. 8. tr. 4. resol. 37.* refert, contrarium fuisse practicum. Sed neque Clem. 1. *de heret.* ubi absolute conceditur tam Capitulo sede vacante, quam Episcopo procedere contra hæreticos abique eo, quod fiat mentio de autoritate apostolica, seu ut procedant autoritate apostolica, concedit Capitulo sede vacante hanc potestatem procedendi in causa hæresis contra exemptos; cum in dicta Clem. nulla fiat exemptorum mentio.

4. Resp. secundò: potest quoque punire crimina & excessus, Fagnan. *loc. cit.* ubi ex Federic. *conf. 16. num. 1.* quod in puniendis criminibus, & excessibus Capitulum id possit sede vacante, quod potest Episcopus. Idem habet Barbof. *loc. cit. n. 65.* Et sic in specie potest ob delicta suspendere ab officio, deponere, seu privare beneficiis, aliisque facere, quæ correctionem spectant; cum ea omnia spectent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi. Pirh. *loc. cit. num. 46.* Barbof. *loc. cit. num. 80.* citans Moha. *tract. 5. de iust. d. 11. num. 6.* Pavu. *p. 2. q. 6.*

5. Sic quoque videtur posse procedere contra Clericum ad verbalem degradationem (qualis dicitur, quando contra Clericum pronunciat sententia, per quam privatur is Ordinibus Clericalibus, quæ & propriè loquendo degradatio dicitur) Sbroz. *l. 2. q. 167. num. 2. & 3.* cum dicat Tridentin. *sess. 13. c. 4.* quod Episcopus per se, seu suum Vicarium generalem in spiritualibus contra Clericum in sacris etiam presbyteratus Ordinibus ad illius condemnationem possit devenerè; adeoque

vide-

videtur id ipsum competere quoque Capitulo sede vacante. Nequaquam tamen ad actualem illam & solennem Clerici degradationem (qualis dicitur, quando Clericus non solum per sententiam privatur, sed etiam personaliter & actualiter degradatur, exiuitur, & spoliatur Ordinibus ecclesiasticis, Sbroz. loc. cit. n. 4. cuius modum ponit Trident. loc. cit. & cuius quoque degradationis formam vide apud Foller, in pr. crim. canonic. p. 3. iud. Tir. ersti confessi & convicti. num. 15. & 16. hanc enim per ipsum Episcopum fieri vult Tridentinum loc. cit. & sic videtur, ea esse Ordinis episcopalis; quod ipsam aliqui tradunt de degradatione seu depositione verbali apud Sbroz. loc. cit. num. 6.

6. Item contra secularès sibi subiectos ad pœnam capituli, ubi Episcopus præter episcopalem habebat & hanc supremam jurisdictionem suo episcopatu annexam; idque conformiter dictis supra ex Pirh. loc. cit. n. 45. in fine; nempe, quòd si Episcopus decedens habebat quoque temporalem jurisdictionem respectu secularium tam in civilibus quàm criminalibus, succedat in hac quoque jurisdictione Capitulum.

Quaestio 473. An Capitulum sede vacante possit tam suos quàm defuncti Episcopi Officiales syndicare.

R Esp. Potest per se, vel suum Vicariũ syndicare. Officialès tam suos quàm defuncti episcopi. Syndicare enim (quod aliud nihil significat, quàm examinare, in mores alicujus, vel acta inquirere, notare, censurâ carperè. Carolus du Fresne in glossario ad media & infim. latinis. scriptor.) est actus jurisdictionis. Barbof. Iur. eccles. l. 1. c. 32. n. 102. citans Paris. Puteo tr. de syndicat. rubric. de off. synd. num. 9. Et in illo proceditur tam ex officio quàm ad instantiam parisi. In jurisdictionalibus autem succedit Capitulum. Barbof. loc. cit. exercendis etiam contra eos, contra quos jurisdictionem suam ordinariam exercere poterat Episcopus. Et de Fiscali defuncti, quòd eum syndicare possit Capitulum sede vacante, tradit Fagn. in c. his quæ. num. 52. Sic posse Capitulum non expectato Episcopo successore rationem exigere à suo Vicario capitulari, & aliis Officialibus suis, eosque pro modo culpæ punire, tradit Garc. juxta S. Congregat. declarat. p. 5. c. 7. num. 23. & ex eo Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 52. Porro qualiter Capitulum ejusque Vicarius possit syndicari ab Episcopo successore, & compelli ad rationes dandas, & puniri, dicitur ad finem hujus tract.

Quaestio 474. An, & qualiter Capitulum sede vacante possit cognoscere de causis suspicionum, quæ contra suum Vicarium proponuntur?

R Esp. Non posse Capitulum eligere arbitros ad cognoscendum de dictis causis, sed debere de iis cognoscere per seipsum, tradit Fagn. in c. his quæ. de major. & obed. n. 76. idem ex declaratione S. Congregation. tradit Garc. de benef. p. 5. c. 7. n. 23. Contrarium tamen tradit Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 36. ubi: quando Vicarius Capituli allegatur suspectus, recurrendum est ad ipsum Capitulum, quod vel potest eligere arbitros ad cognoscendum de causis suspicionum, quæ pro-

ponuntur eo modo, quo Episcopus vivens cognoscit de causis suspicionum sui Vicarii, prout declaravit S. Congreg. vel per seipsum absque electione arbitratorum; ut similiter potest Episcopus per seipsum cognoscere de suspicionem sui Vicarii, ut videre est apud Sbroz. de Vicar. Episc. l. 3. q. 16. quem vide, & quæ de eo dicuntur in hoc puncto de Episcopo, & illius Vicario, applica ad Capitulum sede vacante, & ejus Vicarium. Quòd si autem causa suspicionum, ob quæ recitatur Vicarius, militare se subsistere inventantur, potest Capitulum quin & tenetur causam, circa quam allegatur suspectus Vicarius, committere, seu delegare alteri. Ventrigl. loc. cit. citans Meroll. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 33. num. 322.

Quaestio 475. Num Capitulum sede vacante possit ferre censuras, & nominatim an possit excommunicare, suspendere, interdicere?

i. R Esp. ad primum: potest infligere censuras, quatenus id poterat Episcopus defunctus. Barbof. loc. cit. num. 65. citans Naver. in man. c. 27. num. 5. Molin. ubi ante. Gl. & DD. in c. ad abolendam. de hæret.

2. Resp. secundò in specie: potest excommunicare, quatenus id poterat Episcopus. Barbof. cit. num. 65. Pirh. num. 46. ubi; quòd Capitulum succedat Episcopo in potestate excommunicandi, citans Franch. in c. unic. de major. & obed. in 6. num. 1. Quarant. & c. Fagn. in c. his quæ. num. 49. Quamvis is addat, non posse tamen Capitulum anathematizare, id est excommunicare cum solemnitate; de qua in c. debent. 11. q. 3. pro quò citat Jo. de Anan. in c. his quæ. n. 2.

3. Tertio potest suspendere ab officio & beneficio. Barbof. loc. cit. num. 80. Pirh. num. 46. Sbroz. l. 2. q. 182. num. 7. quamvis is n. 5. & 6. dicat, suspensionem perpetuam, & diuturnam secundum Innoc. & Abb. in c. ad hæc. de off. Archiep. esse de arduis, ita ut etiam Episcopus eam ferre non possit sine Capitulo.

4. Potest etiam interdicere. Barbof. cit. n. 80. citato Pavio. p. 2. q. 6. Rebuff. in pr. benef. tit. de devolut. n. 63. Sbroz. ubi ante.

Quaestio 476. Vtrum absolvere quoque possit ab excommunicatione aliisque censuris?

i. R Esp. Potest Capitulum (vel is, ad quem tunc spectat jurisdicatio) absolvere ab excommunicatione, à qua poterat absolvere Episcopus, nisi ei fuerit specialiter à Sede Apostolica interdicta hæc potestas. Fagn. cit. n. 49. Ventrigl. loc. cit. num. 16. Pirh. num. 46. (qui etiam addit, idem esse, si ve ecclesia verè vacet, si ve quasi vacet, ut quia Episcopus à Paganis ductus in captivitatem.) Barbof. loc. cit. n. 62. citans Rebuff. ubi ante. n. 6. Sylv. in sum. v. Capitulum. §. 2. Suar. tom. 5. d. 7. f. 2. c. cum communi juxta c. unic. de major. & obed. in 6. Absolvere enim ab excommunicatione est actus jurisdictionis, non Ordinis episcopalis, Capitulumque sede vacante vices Episcopi gerit: Episcopus verò absolvere potest à quolibet excommunicatione juris, cujus absolutio non est reservata Papæ, c. nuper. de sentent. excomm. & ejusdem potestatis est ligare, & solvere; & qui potest unum, regulariter potest &

alte-